

11


G A L L A

D U X V.

Electus Anno 755. Deportatur Anno 756.

VETVS INSCRIPTIO.

oculis captus patriam & lumen amisi.



Yrannidem usurpat Galla, justissimo Principe in-
justissimè relegato ; sed male partam dignita-
tem dum pessimè administrat , vitiis obrutus
& voluptatibus , privatus & ipse oculis , alte-
ro regiminis Anno , justas flagitii pœnas depor-
tatus persolvit . Familia Tyranni hic non exprimitur ; vel
nomen proprium confunderetur cum Appellativo ; vel in odium
violentiae suppressum ; vel in solarium innocentis posteritatis
præteritum . Primus iste , qui inter Venetos tyrannidem doce-
ret , quam ignorabant . Hinc prope prodigiosus miraculo ; quod
Populus liberè natus , liberè enutritus , supra Annum Tyran-
nidem sustinuerit ; imò Imaginem permiserit , sed ad infa-
miam .